
ORATIO BARTHOLOMAEI BAPHIJ LUCINIANENSIS CONUENTUALIS...

Bartolomeo Baffi



rendus quam tibi? qui quotidie nouum aliquod tuæ instu diosos beneuolentiæ signum ostendis, neque vnquam benè de ijs mereri desinis, in quibus quanquam ipse inferiorem locum teneo: tibi tamen tam addictus, tam deditus, tamq; obstrictus ero, dum anima spirabo mea, quàm qui maximè, & re tibi, vt potero, præstabo, & quam singulari in te obseruantia sim, & esse debeam: cuius quidem vt argumentum aliquod, anq; inditium hoc tempore afferrem, Orationem hanc à me de nobilitate Mediolani habitam, quam in tenebris iacere constitueram, vt ea luminis tui splendore illustretur, te duce, teq; auspice apparere, in lucemq; prodire volui ab eadem vrbe quasi cõmonitus amãtissima tui, & multis, ac iustissimis de causis tibi carissima: quæ si tibi aliqua ex parte probabitur, optãdum quiddam me esse assecutum existimabo, sin minus, & calcar mihi additum, & nunc officio esse functum beneuolentissimi, atq; obseruãtissimi filij, quem me tibi semper futurum esse persuadeas velim. Vale meiq; memoriam tene.

ORATIO BARTHOLOMAEI BAPHIJ Lucinianensis de Nobilitate Vrbis Mediolani.



I vniuersa Franciscanorum Patrũ familia, Viri mediolanenses, in hunc locum ad dicendum ornatissimum potuisset ascendere, nemo profectò ex tanto numero, vt mea fert opinio, fuisset, qui magnificentissimæ vrbis vestræ laudandæ, & agendarum vobis gratiarum causa, non huc libenter aduolasset, vt præsenti quadam pietate memoriam, beneuolentiamq́, quam debet, vobis præstaret, & vestra in nos beneficia vobis faceret iucundiora. Sed quando id fieri minimè potest, faciundum putauit Amplissimus, atq; officiosissimus noster Antistes, Reipublicæq́ vestræ studiosissimus, atq; obseruantissimus; vt aliquem de sua familia in hunc excelsum, & illustrem locum mitteret: non qui pro maximis vestris in nos meritis uili munere defungeretur orationis, sed potius grati nostri animi in vos omnes, & Rempublicam vestram totius ordinis Franciscani nomine indicium aliquod, atq; argumentum afferret. Cùm autem hoc difficillimum, ac grauissimum mihi munus sorte obtigerit, vtinam quanta est vestræ vrbis maiestas, quantas est nobilissimorum virorum dignitas, & splen-

dor

dor, tanta mihi quoque in esset dicendi ubertas, & copia: sperarem enim talem me hodierno die habiturum orationem, quæ vobis omnibus satisfaceret. Verum cùm videam, quàm sit exiguum ingenium meum, quàm me diocris dicendi exercitatio, hîc verò nihil esse, nisi excelsum atq; eximium, siue in vos, Clarißimi viri, oculos conuertam, siue religiosißimos hos Patres intuear, non possum non exalbescere, & tota mente, ac omnibus artubus conttemiscere: cum præsertim suscipere rem tantam quantam non modo facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti, vix existimem eius esse, qui veretur reprehensionem doctorum, atq; prudentū. Quid enim est maius, quàm de illius vrbis, quæ nulli earum, quæ sunt, quæque fuerunt quæúe post alijs erunt in annis, cedere debet, præstantia, ac nobilitate dicere? Non enim pro illius laudibus communes mihi loci sunt petendi, quibus paßim oratores vti consueuerunt, vt illorum crescant præconia, de quibus ipsi dicturi sunt: sed ex te ipsa, vrbs nobilißima, tua est mihi laus ducenda, tu vna tibi sufficis ad gloriam, tu ita tuo splendore nites, vt potius cogitandum sit, quæ ex refertißima laudum tuarum silua sine scelere præteriri debeant, quàm opus sit dicenti perquirere, quæ accurata dicendi ratione, aut ornata oratione exornari possint: non enim oratorijs fucis, sed tuis tu coloribus pingenda es: quippe cùm ea existas, inqua non adumbratum simulacrum, sed tota nobilitatis effigies illustris

cernitur

cernitur, atq; perspicua. De te tamen mei muneris obeundi gratia bona vestra cum uenia aliqua primoribus labris gustabo, & extremis (vt aiunt) digitis attingam. Sunt igitur, qui nobilitatem virtutibus acceptam referant, sunt qui diuitijs, alij malunt nobilitatem esse gloriam, & maiorum claritatem: sed omnia hæc nobilitas suo quodam iure postulare videtur, diuersis tamen rationibus. Virtus quidem interior est nobilitati, diuitiæ verò instrumentum sunt, à quibus qui vacuus est, ac nudus, non potest egregia nobilitatis opera exercere. Gloria deniq;, siue claritas pulcherimus quidam fructus est, qui à nobilitate proficiscitur, & quemadmodum vmbra corpus consequitur, ita virtutem gloria, vt verum sit illud.

,Gloria virtutis comes est, vt corporis vmbra.

Quæ omnia in hac vrbe sita, & collocata esse, vel innata potius quotusquisq; est, qui non videat? nam si in Scipionis Nasicæ à Senatu optimi iudicati sententia simus, qui crebris solebat vsurpare sermonibus, cùm de vrbe aliqua sibi agendum esset, mœnia spectanda, & mores multo etiam magis, ac virtutes perpendendas: quorum quidem alterum oculos mouet, ac pascit, si ordine, si modo, si ornatu, si pulchritudine, & recta ratione constiterit: alterum verò magis delectat, cùm & virtus, & honestatis institutio, & rationis disciplina inerit: hanc Ciuitatem quocunq; nos oculis atq; animis conuertimus, nobilitate præstantem, & rebus amplissi-

mis

mis, atq; honorificentissimis ornatam esse dicendum est: Legenti praeterea mihi, & memoria vetera, & antiqua urbis vestrae munimenta repetenti perbeata mihi semper fuisse videtur, vel quòd & honoribus, & rerũ gestarum gloria floruit, vel quòd eum semper cursum tenuit, ut & in negocio sine periculo, & in otio cum dignitate fuerit, vel quòd longo seculorum ordine seminarium quoddam habuit sapientissimorum virorum, qui belli pacisq; gloria insignes extiterunt. Itaq; Bellouesus ille vir clarissimus ex Regia stirpe Gallorum, qui huius urbis pulcherrima fundamenta iecit, quiq; circumpadanae huius regionis Coloniarum fuit autor, quàm ingenuè quàm plena manu tollendus est in astra: qui non modo urbem natura, & situ, & descriptione aedificiorum, & pulcritudine nobilissimam condidit, sed etiam stirps, ac semẽ fuit, ex quo tot, tantiq; aurei rami procreati sunt, qui uberrimos, ac suauissimos fructus tulerũt. Quae grata memoria? quae magnitudo obseruantiae tanto beneficio respondeat? Quae ubertas ingenij satis laudare optimum maximúm que virum posset? Vir regius regiam urbem condidit, nobilissimus nobilissimam Ciuitatem fundauit. Et quanquam non sum nescius esse nonnullos, qui aliter sentiunt, plus tamen apud me (licet quis rem tam veterem pro certo affirmet?) probatissimorum & lectissimorum scriptorum autoritas valet, qui à Gallis insubribus duce Bellouesso conditam hanc urbem, & à nomine re-

licti

licti ab eis Mediolani appellatam putant: cum præsertim ipse etiam Ptolemæus Mediolanum oppidum in Gallia lugdunensi inter ligerim, & sequanam fluuios recenseat. Hic igitur vir sapientissimus diuino quodã numine afflatus, cũ primũ huius cœli salubritatem, & singularem temperiem, aerisq; amœnitatem oculis, ac ratione perlustrauit, optimamq; etiam, ac fertilem regionem, & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ ad victum, cultumq; pertinent, tum fontes, riuos, fluuios, & innumerascum artificiosas, tum naturales & saluberrimas quidem aquas, vt solũ hoc toto anno ferè herbesceret, arboresq; frondescerent, florerent plantulæ, ferrentq; suauissimos fructus, sedem omnium rerum, ac fortunarũ hîc collocauit eo consilio, vt perpetuò hîc vitam tranquillissimam, ac felicissimam degeret, vrbemq; hanc posteris amplam, & magnificam relinqueret, atq; ad immortalitatem consecraret. Iam inde ab eo tempore cœpit huius ciuitatis nomen longe, atq; latè vagari: nam postq̃ in vna mœnia conuenere Biturgi, Aruerni, Senones, Edui, Arbarri, Carnuti, & Aulerici inter Celtas populi, quos secum Bellouesus duxerat, incredibile dictu est, quàm facilè coaluerint, quàmbreui hæc vrbs moribus optimis, viris illustribus aucta sit, quàm prospera, ac pollens sit facta. Etenim post Bellouesi obitum, cùm Segouesus filius in eius locum suffectus esset, animi robore,

& scientiæ rei militaris, qua plurimum valebat, fretus vnà cum suis ciuibus Galliam Cisalpinam in suam ditionem, ac potestatem redegit, à cuius quidem belli gloria, et laude, à cuius perenni, contestataq; virtute eius filius Brunesedus minimè degenerauit: propterea quod Brenno Sueuorum regi magno cũ exercitu in Italiam descendenti occurrit, copiasq; omnes eius deleuit, fugauitq; eodem loco, vbi erat pugnatum, victoriamq; gloriosam hæc vrbs eo tempore consecuta est. Quæ & si paucis post mensibus cladem ab eodem Brenno accepit, qui firmißimum exercitum comparauerat, non tamen hostibus fortunæq; succubuit, sed eorum iniuria huius amplitudinem illustrauit: tantum enim in opibus, viribus, gloria progressum fecit, vt euolare, non excurrere videretur. Itaq; vt Polybius, Strabo, & Plutarcus aiunt, quòd ab ea nouæ aliæ propagarentur vrbes, Metropolis dicta est: Mediolanenses enim domi militiæq; intenti hostibus obuiam ibant, patriam, parentes, liberos armis protegebant. Quamobrem legittimum imperiũ meritò sibi parauerunt: eorum enim res gestæ satis amplæ, magnificæq; fuerũt. Verum, vt est hominum ingenium, cùm maiorem gloriam, dignitatem imperium concupiscerent, simulq; Romanorum potentiã pertimescerent, cum Viridomaro post primum bellum punicum contra Romanos societatem inierunt, à quibus & si aliquando victoriam reportarunt, Marcus tamen Marcellus Viridomaro interfecto vrbem vestram

subegit:

subegit: cui tantum abest, ut aliquam vim, iniuriamq; attulerint Romani, ut etiam muniuerint, adiuuerint, auxerint: Gn.n. Pōpeio magno consule urbis vestræ Prætor Gabinius nobilissimus ciuis Romanus creatus est, qui huius urbis tanta delectatione, beneuolentia, vel amore potius ductus est, ut præterquam quod iuuandi desiderio ardens salutares liberalitate, & diligentia incredibiles utilitates attulit, magnifica etiam ædificia construxerit, & theatrum, & viridarium pulcherrimum, quò animi gratia urbis principes proficiscerentur: ut quemadmodum aues conditionis, & naturæ suæ argumentum construendi nidi opificio præbent, ita in hac urbe amplissima ædificia nihil nisi hominum præstantiam indicarent. Id quod cum optimè omnium nouisset Gabinius Mediolanum secundam Romam appellare non dubitauit, tanta vestræ urbis incredibilis, ac propè diuina virtus, tanta extitit amplitudo. O rem miram Romanus ciuis veritate (credo) compulsus hanc urbem propemodum Romæ æquauit. Ut autem, quod senserat immortalitati cōmendaret, marmore sculpendum voluit: quod tacitus præterire nullomodo potui, hec autem eius verba sunt.

,Dic homo, qui transis, dum portæ limina tangis
,Roma secunda vale, regni decus imperiale:
,Urbs veneranda nimis, plenissima rebus opimis,
,Te metuunt gentes, & tibi flectunt colla potentes,
In bello Thebas, in sensu vincis Athenas.

Quamobrem minimè mirum debet cuiquam videri, cùm optimum quidq; per se expetatur, ac diligatur, & C. Cæsari, & Augusto vrbem vestram in oculis fuiße: quin multo etiam magis Deo Optimo Maximo, cuiusquidem, audite, quæso, viri Mediolanenses, benignitatem, & clementiam in vos incredibilem, vt essetis ab omni parte beati, virum illum sanctißimum Apostolum Barnabam ad vos misit, Episcopumq; vestrum instituit, vt Christum verum Deum & dominum nostrum, uerumq; seruatorem agnosceretis, vt in viam rediretis, & vos ad bonam frugem reciperetis, cælum deniq; vt adiretis, vbi æuo sempiterno fruemini. O beneuolentiam inusitatam, ò inauditam immortalis dei in hanc vrbem charitatem: hæc vera gloria vestra, hæc perpetua laus est, quæ non Poetarum carminibus, non annalium monimentis, sed prudentium iudicio expenditur. Per ea vero tempora vt ad summa fælicitatem vestram cumulus accederet, nihiluè desideraretur, quod homini fas esset optare: cum bonarum artium studijs floruit: Vergilius .n. Maro philosophicam hîc togam sumpsit, tum à clarißimis Imperatoribus culta est: nam & Nerua, & Traianus ita huius vrbis delectatione ducebantur, vt capitolium hic, ille verò nobilißimum palatium ædificandum curauerit. Quid Adrianum? quid Maximianum Herculeum cõmemorem? quibus nihil potius fuit, quàm vt Mediolani habitarent. Quid dicam de Constantino? quid de

Constantio

Constantio? quid de Valente? quid de Valentiniano? quiquidem non pluris vel vrbem Romam, uel Byzantiũ, quàm Mediolanum fecerunt: vt enim volucres vtilitatis suæ, & leuandi laboris causa passim, ac liberè solutas opere volitare videmus, ita Imperatores hi defessi negotijs curisq; publicis relaxandi animi gratia huc se conferebant vacui cura, atq; labore. Theodosius vero maximus Imperator, qui & scientia rei militaris, & religione floruit, de quo Claudianus poeta ait.

,O nimium dilecte Deo tibi militat æther,

,Et coniurati veniunt ad classica venti.

Hic inquã relicto Byzantio, vrbe Roma, omnibus Imperij sui regionibus in hanc se celeberrimam, & nobilissimã vrbem recepit, in hac luce vixit. Nonne hoc ad gloriam vestram pertinere videtur? videre enim videor eo tempore famam de vrbe vestra Indos peragrare, Caucasum trascendere, Gagenq; tranare: videre videor omnibus in terris versari, & habitare nominis vestri gloriam, de vobis omnes gentes loqui: etenim Barbaræ illæ nationes, exteræ illæ gentes cùm inter se mutuum de Imperatore haberent sermonem, quò profectus Imperator? Mediolanũ: vbi terrarum commoratur? vbi conquiescit? Mediolani. Quam potissimum vrbem illustrat? quam deniq; liberalitate, & muneribus prosequitur? Mediolanum. O ter felicem, ac beatam vrbem: vobis, ciues optimi, Theodosius clauum illum, quo Christi seruatoris nostri manius

crucis

crucis ligno fuit affixa, dono dedit, vobis tria illa sanctissima magorum corpora, qui Christo infanti preciosa munera obtulerunt. Quid hoc beneficio maius? quid hoc diuino munere prestantius? quid sublimius excogitari vnquam potuisset? hæc autem, & innumerabilia alia officia num propterea in hanc Ciuitatem contulit, quód opũ vestrarum, tectorum auro fulgentium, vermiculatorum emblamatum, soli vbertatis, hortorum amænitatis, fructuum copiæ, collium apricorum, vagorum fluminum, quibus ornata semper fuit hæc vestra regio, delectatione, vel amore captus esset? minimè verò: sed quòd vestræ vrbis ciuium tanta bonitas, virtus, religio, tanta deniq; integritas, & præstantia extitit, vt non posset eos non mirificè diligere, & quàm maximis officijs complecti, Ambrosium præsertim sanctissimum ciuem vestrum, ac pastorem optimum, quemquidem hic vir tanta obseruantia coluit, vt in eo colendo patriam sibi constituerit santitatem, cui sic fuit addictus & omnibus in rebus obsequens, vt ne vestigium quidem, néue transuersum vnguem tantus Imperator ab illius voluntate vnquam discesserit. Nec me hercule iniuria: nam si tanta vis probitatis est, vt eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel quod maius est, in hoste etiam diligamus, quid mirum si animus huius moueretur, cùm tantorum virorum præstantiam, quibus cum vsu, & amicitia cõiunctus erat, et diui Ambrosij virtutem & bonitatem perspiceret? cuius sanctissimi

mi

mi viri laudes silentio prætereundas esse duxi: propterea quòd eius nominis splendor animi mei aciem perstringit; & mentis quasi luminibus officit altitudo illius sanctitatis, doctrinæ, & gloriæ, quis enim satis dignè tantum virum laudare vnquam posset? Tantum dicam illius in Christianam religionem meritis nullam ætatem caliginem offundere, nulla tempora gloriam minuere, nullam obliuionem eius memoriam delere posse. O terram illam beatam, quæ virum hunc excepit, hanc ingratam, si eiecisset, miseram si amisisset. Hi duo igitur viri Ambrosius, & Theodosius (Viri Mediolanenses) vtrum vobis, maioribusq; vestris plus dignitatis, gloriæ, splendoris in perpetuum, an vtilitatis, emolumenti, fructus attulerint, non facile dixerim. Quare meritò maiores vestri, (vt nonnulli scriptores illustres scriptum reliquerunt) eorum mortem æquo animo ferre non poterant, Senatus lugebat, mærebat Equester ordo, tota ciuitas confecta senio erat, squalebant omnes Italiæ vrbes, afflictabantur omnes boni, agri deniq; ipsi tam beneficos, tam salutares viros desiderabant: quis enim non ingemuißet? quis dolore non arsisset? quos immortales, si fieri potuisset, omnes exoptassent: cùm presertim tanquam ex alta specula futuram tempestatem prospexissent, ac infinita propè mala, pericula, & calamitates, vt Tantalo saxum, sibi impendere vidissent. Nam post Theodosij obitum, ò durißima, atq; accerbißima tempora, nihil miseræ, et plusquam

dici

dici poßit, Italiæ aliud obiectum est nisi crudelitas, nisi excisio, inflammatio, euersio, depulatio, vastatio, vt spiritu (vt ita dicam dumtaxat viueret, re quidem infra omnes mortuos amandata esset: etenim Attila Hunnorum Rex Italiam hostili manu ingressus Aquileiam triennio obsedit, quam acriter oppugnatam tandem cepit, diripuit, & incendit, nec vlli hominum generi pepercit: tum Ticinum, vrbemq; hanc vestram, ac totam Galliam Cisalpinam magnis incommodis affecit. Cum tamen immortalis Deus vrbem hanc, cuius præsidijs tecta semper est, cuius numine ab omibus insidijs aduersariorum defensa, respiceret, non multo post Diocletianum Mediolanensem Italiæ regem, quem à Theodoro huius vrbis Archiepiscopo corona ornandum curauit, qui multas victorias de Gallis Germanisq; Italiam vastãdi cupidis adeptus est: eaq; extollere iam caput, & aliquando recreata se erigere cœpit. Tum ab eodem Theodoro Maximiano insigne Regium hîc fuit impositum: Tum Theodorico, qui ad auxilium perculsæ, ac prostratæ Italiæ à Zenone Imperatore missus accesserat, ferrea hîc corona imposita est, perinde quasi qui in potestatem, ac ditionem suam Italiam, Mediolanumq; redigere voluisset, ei ferreis armis esset vtendum. Tum Alaricus nepos à beato Datio vrbis vestræ Archiepiscopo: tum Ildebardus, tum Totila Gothorũ Rex eadem corona decoratus est. Quid Alboinum? quid Eutharim? quid Agiluphum, ac mul

tos

tos alios Longobardorum Reges recenseam. Cur arbitramur hos potentissimos Reges in hac amplissima, atq; ornatissima vrbe coronari voluisse? Num vt eam illustrarent? num vt suo splendore decorarent? vel autoritate cohonestarent? immo vero vt ipsi dignitate ornarentur, atq; honore augerentur à tam nobili tamq; præstanti ciuitate: quamquidem mihi videtur præstantiam omni tempore retinuisse: hîc enim, & Ludouicus secundus Imperator diem suum obijt & Henricus primus Imperator è gente Bauara vir optimus, ac sanctissimus ferream coronam accepit. Et licet in tot, tantisq; malis, & quasi parietinis Italiæ non potuerit non multa incommoda subire (non enim possunt in vna regione multi affligi, vt non plures secum in eandem calamitatem trahant) tamen cum sua ipsius fortitudine, robore, ac consilio, tum vel maximè diuino auxilio munita, ac fulta summa cum gloria magnis periculis defuncta est: nam Corradus, qui in demortui Henrici locum fuerat suffectus, hanc vrbem obsessam, vt ei seruile iugum imponeret, tantum abest, vt ceperit vestrorum ciuium virtute, & animorum magnitudine, & diui Ambrosij præsidio, cuius exemplar obuiam factum Imperatori mortem minitatus est, nisi à Mediolani obsidione discessisset, vt etiam in Germaniam reuerti sit coactus: O Augustam ciuitatem, quæ diuinitus ab improborum impetu defensa es: in quaquidem vtinam pestis aliquando non fuisset ne

C

faria, & malum inclusum penitus in venis, atq; visceribus Reipublicæ, sed scriptum in fronte vniuscuiusq; ciuis fuisset, quid sentiret: non enim scelestissimus ille Federicus Imperator, qui Barbarossa vocitatus est, furens audacia, scelus anhelans, pestem Italiæ nepharie moliens, atq; huic vrbi ferrũ, flãmamq; minitans, vim, manus, vastitatem vobis intulisset, vestræq; vrbi non plagam planè insanabilem, ac mortiferam imposuisset, atq; inflixisset: quæ, proh dolor, ita omnia Italiæ oppida, municipia, vrbes, vniuersam deniq; Rempublicam Christianam perculsit, vt nihil propemodum grauius, atq; acerbius post hominum memoriam vnquam tulerint, commu nemq; eam calamitatem existimauerint. Verùm audite optimi viri, singularem in hanc vrbem pietatem, ne tan tum semen vrbanitatis, nobilitatis, ac virtutis interiret, vicinæ, ac sociæ vrbes Cremona, Placentia, Verona, Patauium, & complures aliæ ad Mediolanum restituendum, ac de integro muniendum cateruatim confluxerunt. O beneficentiam, & humanitatem egregiam: non enim vt gratiam exigerent, non vt beneficium fœnerarentur, non aliqua spe mercedis adductæ, sed beneuolentia, vel amore potius in vos, vrbemq; vestram incredibili ad auxilium accesserunt. Quæ res nihil vobis amabilius, nihil vrbe vestra pulchrius, nihil formosius fuisse indicauit: hæc enim fuerunt indicia solida, & expressa, hæc signa probitatis vestræ, non fucata aliqua

specie,

ſpecie, ſed inſignibus inuſta notis veritatis: quot enim quantæq; vrbes quondam florentiſſimæ fuerunt, quæ poſtea proſtratæ, ac dirutæ nunquam fuerunt reſtitutæ. Equidem ſexcentas, quas ratione breuitatis prætereo, poſſem enumerare. Hæc autem veſtra nulla fermè inter poſita mora, nulla propemodum facta temporis intercapedine in priſtinum ſtatum, dignitatemq; rediјt, palmæq; naturam imitata eſt: vt enim ſi ſupra palmæ arboris lignum magna pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas, oneresq;, vt magnitudo oneris ſuſtineri non queat, non deorſum palma cedit, nec intra flectitur, ſed aduerſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur recuruaturq;: ita hæc fortiſſima ciuitas, & ſi multis calamitatibus preſſa eſt, paulo tamen poſt reſurgens tantas copias cũ ſocijs ciuitatibus coegit, quantæ ad defendendam ſuam ſalutem libertatemq;, & ad hoſtem oppugnandum confici poterant. Itaq; cum eodem Federico ab equitatu & peditatu firmo decertare, manumq; conſerere non dubitauit: de quo quidem ſupplicium multis modis (vt memoriæ proditum eſt) ſumpſit: tum quòd eius exercitum deleuit, ac fugauit, & ad fœdus in eundum compulit: tum quòd de Federico ſecundo illius nepote victoriam adeò glorioſam Ottone Mandello duce conſecuta eſt, vt in Apuliam fugauerit, vel potius eiecerit: Poſt cuius fœdiſſimum diſceſſum Mediolanenſes non ſolum in priſtinam ſe dignitatem vindicarunt, ſed ad illam antiquam virtutem, con-

suetudinemq; se penitus reuocarunt; & vsq; eò, vt eundem imperatorem, qui validißimo exercitu in Galliam transpadanam redierat, vt Mediolanensibus negotium facesseret, nullo ferè negotio propulsauerint, ac fugientem prosecuti sint: eiusq; filium captiuum per triumphum in vrbem duxerint. Sed erigite, quæso, aures hospites, erigite aduenæ, vt Mediolanenses victores hostem etiam benignitate, & clementia vincerent (de hoc enim cælo spiritus hominum virtutum semina quædam contrahit) tantum abest, vt eius filium aut aliqua iniuria, contumeliaúe affecerint, aut verbis violauerint, vt etiã incolumẽ honestè patri restituerint. O clementiã admirabilem, atq; omni laude, prædicatione literis, monimentisq; decorandã. O ingentem humanitatẽ, quæ vix cælo capi posse videtur. Quodnam genus hominum ita modestè, ita temperatè, ita deniq; sanctè se vnquam geßit? Accepimus Alexandrum Macedonum regem Darij hostis vxorem, ac filium benignè tractasse curasseq;, nequid detrimenti caperent: nunquã tamen tam honestè remisisse. Romanam Rempublicam legimus Syphacem olim Numidiæ Regem in custodia Tiburi mortuum publico funere censuisse efferendum: eandem, literis traditum est, cùm Carthaginenses legati ad captiuos redimendos in vrbem venissent, nulla accepta pecunia ijs restituisse: eos tamen nunquam (pace tantæ Reipublicæ dixerim) ad patrum vestrorum normam fuisse clementes existimauerim. Illi

enim

enim aduersus eos se comiter gesserunt, quibus cum de imperio decertabant, Mediolanenses vero aduersus eos, qui patriæ, parentibus, aris, atq; focis, tectis Vrbis, Dei immortalis templis non solum impium bellum, ac nefarium parauerant, sed cædem, incendia, aliaq; fœda, ac crudelia facinora fuerant minitati, ac moliti, quorum auus Federicus Vrbem hanc extinguere, atq; funditus eradicare studuerat. Quamobrem credo ego, quòd ad diuinam clementiam, ac benignitatem voluntate proximè accessit hæc Respublica, Deum optimum maximum vt aliquo eam beneficio afficeret, eo tempore libertate penitus donasse, vestrumq; Imperium amplificare voluisse, nedum ea restituere, quæ in uestro antea dominatu erant. Nam post Martini Zurriani Vrbis Prætoris obitum, quemquidem virum præstanti prudentia, & magna liberalitate fuisse legimus, in eius locum Philippus frater maximi animi homo successit, qui Bergomum, Nouariam, & Laudum sub imperium Mediolanensis populi subiunxit, cui si longior vita contigisset, nullum non præclarum facinus fecisset. Nepos verò eius Napus Vicleuanum, Palatiolum, ac nonnulla alia oppida addidit. Quid dicam de Matheo ex nobilißima Vicecomitum familia? in cuius potestate nobilißimæ Vrbes fuerunt Cremona, Bergomum, Placentia, Vercellæ, Alexandria? Quid de Luchino? qui Brixiam, Aequeam, Tartonam habuit? Galeatius autem primus Ticini dominum,

Ticinum

Ticinumq; ipsum cepit, & Cremam. Ioannes autem Archiepiscopus Galeatij frater tum Bononiam, quæ vltro se dedidit, tum Genuam nobilissimas vrbes accepit. De Bernabouis autem rebus gestis si agere vellem, vix vno die complecti possem. Sed silentio præterire nullo modo possum Ioannem Galeatium virum egregium, in quo quatuor illa, quæ in summo Imperatore inesse oportet, fuerunt Scientia rei militaris, virtus, autoritas, & felicitas, qui ita huius vrbis nomen in cælum sustulit, vt nulla vrbs, neque Italiæ, neq; Transalpinarum ab hinc mille annis huic vestræ sit comparanda, cuius Imperium sic propagauit, vt nulla regio, nullus Rex, vel Imperator esset, qui & Mediolanum, & Ioannem Galeatium non admiraretur, ac suspiceret: talis enim fuit, vt nulla res tanta esset, ac tam difficilis, quam ille non & consilio regere, & virtute conficere posset. Huius ego laudes, & egregia facinora, quàm libenter quàm cupidè, si mihi dicendi vbertas, & explicandi locus esset, in astra tollerem, vt ei aliquam partem voluntatis mutuæ in patriam meam Lucinianum tribuerem: quod quidem Hetruriæ oppidum cùm in hostium manus arte magis, quàm viribus venisset, Galeatius ad hostium fautores legatos misit, quibus bellum suo nomine indiceretur, nisi curassent, vt in pristinam dignitatem Lucinianum restitueretur. Hanc igitur ob causam perpetuò & Mediolano, & Galeatio patria mea plurimum debebit, &

obstricta

obstricta erit memoria beneficij sempiterna. Hic igitur vir clarissimus summa religione & caeremonia ab Imperatore Vencislao Dux creatus est, qui si diutius in vita mansisset, Rex vtiq; extitisset, atq; in altissimum locum hanc regiam vrbem adduxisset. Sed me Imprudentem, qui tantae vrbis res cùm domi, tùm foris fortiter, ac sapienter gestas in tanta temporis angustia exprimere conor, quarumquidem faciliorem ingressum, quam exitum video. Nam si mihi propositum erit dicendo enumerare, qua virtute fuerit contra potentissimos hostes, quantum gloriae consecuta, quantis honoribus aucta, quot, quantisq; viris illustrata, ac decorata fuerit, nullum finem oratio nostra esset inuentura. Sed quoniam praeclarè noui me non historiam texere, sed orationem habere, ex infinita rerum silua aliquos flosculos carpendos, ac deliberandos existimaui. Vt igitur ad vestrae vrbis nobilitatem nihil posset accedere, nihilúe desiderari, praeterquam quod quamplurimis Illustribus, ac nobilissimis familijs omnium seculorum aetate floruit, floretq; memoria nostra vt cum maximè, quae in omni virtutum genere possent cum ipsis Romanis decertare: ex ea etiam tamquam ex equo Troiano innumeri principes exierunt, ornataq; est sapientibus veluti Sideribus caelum: Prodijt enim ex hac vrbe Alexander secundus Pontifex Maximus, qui ob humanitatem, doctrinam, ac religionem absens Pontifex creatus est. Tum Vrbanus tertius ex nobilissime Cri

belliorum Familia, qui vt optimus Pontifex cùm omnia summa fecisset, vt inter Christianos principes pacem conciliaret, cùmq; vi captam Hierosolimam à Saladino Saracenorum Rege audisset, Venetias proficiscens comparandæ clasis gratia animi dolore, quem ex Christianorum calamitate acceperat, ex hac vita migrauit: Celestinus etiã Castilionius Mediolanensis ciuis extitit: hic decimo octauo die Pontificatus obijt magno sui desiderio relicto: sperabant enim homines (vt literis mãdatum est) se eius Pontificatu felices futuros. Nunc autem Christiana religio Pio IIII. Pontifice Maximo Mediolanensi ciue fruitur, quem ei de cælo diuinitus delatum prædicat: in his enim miseris, ac perditis temporibus nihil aliud agit, nihil curat, nisi vt Christiana Respublica salua, liberaq; sit, nullum locum prætermittit monendi, agendi, prouidendi: hoc deniq; animo est, vt si in hoc diuino magistratu vita ei ponenda esset, præclarè secum actum putaret. Tum non ne ciues vestri extiterunt Didius Iulianus, & Maximianus herculeus Imperatores? Nonne etiam quamplurimi Cardinales omni virtutum genere Præstantes? exquibus quis satis dignè laudare vnquam poterit Iacobi Simonetæ, Ioannis Moroni, Borromæi, ac Io. Antonij Serbelloni virtutem, & probitatem? quis non quatuor ætatis nostræ lumina appellabit? Longũ esset Archiepiscopos, Episcopos, Duces, tum ex Vicecomitum familia, tum etiam ex nobilissima Sfortiorum

rum

rum stirpe, alijsq; familijs quorum egregia facta, & dicta optimorum scriptorum monimentis, quæ vos non fugiunt, cōmendata sunt. Dicam tamen, quod piè tacere nō possum doctißimis viris, & optimarum artium gloria cumulatis hanc vrbem omni tempore viguisse: atq; ex innumeris, ac propè infinitis duos tantum honoris gratia nominabo, nobilem silicet, & antiquum illum Poetam Cæcilium, & nostra memoria Andream Alciatum doctißimum virum, qui in iure ciuili nulla controuersia familiam ducebat, cuius lucubrationes in studiosorum manibus aßiduè habentur. Quot, quātisq; præterea Iureconsultis integerrimis, acutissimis Philosophis, prudentißimis Medicis, Astronomis, Poetis, Oratoribus, Cosmographis, præstantißimisq; Theologis floruit, floretq; Mediolanum, quosquidem si enumerare vellem, dies, vox, latera deficerent. O nobilem igitur, ac generosam stirpem, & tanquam in vnam arborem plura genera, sic in hanc vrbem insitam, atq; illuminatam sapientiam. O nomen, ac dignitatem Reipublicæ Mediolanensis. O ciuium sic latè longèq; diffusam laudem. O nationes, vrbes, populi, Reges Tetrarchæ Tiranni testes mediolanensium ciuium non solum virtutum in bello, sed etiam in pace: Vos deniq;, mutæ regiones, appello, vos maria, portus, litoraq;: quæ est enim ora, quæ sedes, qui

doctrinæ, tum deniq; religionis, ac munificentiæ impressa vestigia? quæ duo extrema religio scilicet, & munificentia cùm insita à natura Mediolanensibus propè sint, fieri nunquam potuit, vt ex animo cuiusq; vestrum diuellerentur. Etenim religionem illam patriam, atq; auitam animis vestris imbitam, ac cærimonias omnes sanctißimas tanta veneratione semper coluit hæc ciuitas, vt nihil religiosius ea fieri vnquam potuerit. Testes sunt tot magnifica Templa, tot Religiosorum, ac sacrarum virginum cœnobia, Ecclesia deniq; ipsa orthodoxa, in qua nequid nouaretur, né ve ipsius religionis vlla in re fieret commutatio, tanto studio curauit, vt in minimis etiam diligentißima fuerit. Quoties (Auditores religiosißimi) qui in peruersa sunt hæresi, repentè tanquam serpentes è latibulis oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus in Italiam se contulisset? quoties Romam? quoties Italiæ vrbes, et Oppida vastassent? quoties domos nostras vel diripiendas, vel inflammandas reliquissemus? nisi Mediolanum tanquam murus aheneus tanquam propugnaculum validißimum hostibus oppositum, atq; obiectum fuisset. Legi ego amplius sexcentis in locis Barbaras illas nationes singulari immanitate, & crudelitate præditas, vt omne odium inclusum nefarijs eorum sensibus in Italiam profunderent, in hanc vrbem impetum, atq; impreßionem fecisse, à qua aut profligatæ, & penitus fusæ fuerunt, aut summo cum earum dedecore ex

Italia

Italia eiectæ: quæ si ad ea, quæ mentibus consceleratis, ac nefarijs concupiebant, aspirassent, in cinere domum nostrarum, & sanguine hominum exultassent, ac triumphassent. Quare si pietatem vestram, ac religionem in Deum, si beneficia in Romanam Ecclesiam, si in Italiam merita vna oratione, vel vno die complecti voluero, nihil amplius agam, quam si vnius riuuli angustijs vniuersum oceanum restringere tentauero. Cùm autem hæc ciuitas affluens, opulenta, & omni copiarum genere abundans ita semper extiterit, vt multi fuerint, sintq; nostra memoria, qui suis fructibus exercitum alere possent: nunquam tamen magis diues, quàm liberalis fuit: etenim Mediolanensium ciuium animi non ad auaritiam, quæ omnia iura diuina, atq; humana peruertit spectant, sed ad gratificandi facultatem, ad munificentiã ac liberalitatem: de qua si mihi dicendum esset, difficilius esset exitum, quàm principium inuenire: ea enim tam insignis semper fuit, tam singularis, vt nulla ferè sit gens tam Barbara, tam agrestis, nullum hominum genus, quod non dixerim mediocres, sed vberrimos liberalitatis vestræ fructus non perceperit non modo illius, quæ moralis, & politica est, sed eius etiam quæ propria est christianorum, quæ eleemosina dicitur

ac inopia laborantibus dexteram aßiduè porrexit hæc ciuitas; quos labentes excepit, corruere non ſiuit, quibus deniq; nullo loco deſuit. Te appello, Franciſcana mea Reſpublica, quæ qua memoria, quaúe ingenij, qua magnitudine obſeruantiæ innumerabilibus beneficijs munificentißimæ huius Vrbis reſpondere poteris? quæ te in ſinum & gremium ſuum recepit, quæ tibi pulcherrimum domicilium eſt elargita, quæ tibi ea omnia, quæ aduictum, cultumq́ pertinent; abundè ſuppeditauit, quæ tanto amore in te, ac ſtudio fuit; Vt excogitauerit, quemadmodũ te honeſtaret & quàm amplißimis rebus ornaret, quæ deniq; in his noſtris communibus comitijs tam præſtanti liberalitate, ac beneficentia in nos omnes Vſa eſt, Vt nihil addi poſſe Videatur. Quapropter, Viri Mediolanenſes, immenſum quiddam, & infinitum eſt, quod Vobis, quod Veſtræ ciuitati debeamus: quibus quoniam gratiam referre tantam non poſſumus, quantam debemus, habemus tamen quantam maximam animi noſtri capere poſſunt: Etenim, Viri clarißimi, cùm omnibus Virtutibus nos affectos eſſe cupiamus, tamen nihil eſt quod malimus, quàm nos & gratos eſſe, & Videri: hæc eſt enim Vna Virtus non ſolum maxima, ſed etiam mater Virtutum omnium reliquarum. Itaq; conſpectus, & conſeſſus iſte Veſter mentes noſtras recreat, cùm Vnumquemq; Veſtrum intuemur, & contemplamur: Videmus enim in hoc numero neminem, qui non ſit ſingulari in nos beneuo

lentia

lentia, cuius non extet in nos suum meritum, cui non simus obstricti memoria beneficij sempiterna. Omnes igitur nos gratias agere gestimus, amplißimus presertim Antistes noster Antonius Augustanus, qui quoniam per multos annos in complexu, gremioq; uestro conquieuit, & à vobis semper benignè fuit acceptus, compluribusq; officijs affectus, vos omnes nobilißimamq; vrbem vestram in ore, atq; in amore vsq;quaq; habebit: qui, quòd hæc nobilißima ciuitas patria propemodum ipsa ei est charior benignitate, ac munificentia vestra fretus hîc potißimum generalia comitia nostra habenda curauit. Quodcùm à sapientißimo vestro senatu impetrauerit Deo optimo maximo approbante: cùmq; eximiam liberalitatem, ac humanitatem vestram satis superq; sit expertus, nullam partem vestrorum meritorum non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia se consequi posse videtur. Verùm tum ipse, cui vniusquisq; vestrum in medullis, ac visceribus hæret, perpetuòq; hærebit: tum nos omnes memoriam vestrorum in nos meritorum colemus beneuolentia, atq; obseruantia sempiterna, splendebitq; ea semper, nec vllis vnquam sordibus obsolescet: Deumq; optimum maximum precabimur, vt omnia vobis, liberisq; vestris, posterisq; eorum prosperè eueniant, vt perpetuò sint fau-